Noverint universi quod nos Beatrix Dei gratia abbatissa monasterii Sancti Danielis Gerunde, attendentes quod dictum monasterium habet sitis prope civitatem Gerunde iovenam vocatam de Monte Eribio cum suis terris honoribus et pertinentiis suis, attendentes etiam quod consideratis sumptibus qui pro laboratione ipsarum terrarum et honorum et ad rationem ipsius iovene fiunt necessario et fieri habent, melius utilius et fructuosius est ipsi monasterio multiplici ratione dictam iovenam cum suis terris honoribus et pertinentiis stabilire seu ad emphiteosim concedere sub certis censibus quam ad propriam laborationem retinere vel etiam ipsam ad laborandum concedere, habitis super predictis et quolibet predictorum diligenti et frequenti consilio deliberatione et tractatu cum conventu nostri monasterii propterea more solito convocati et congregati, predicta ipsius monasterii utilitate attenta, de consensu voluntate et consilio dicti nostri conventus, et etiam de auctoritate et expresso assensu reverendi patris in Christo domini Gastonis miseratione divina episcopi Gerundensis, gratis et ex certa scientia per nos et successores nostros in dicto monasterio damus et concedimus ad emphiteosim sive ad acapitum vobis Arnaldo de Torrente habitatori Gerunde et vestris perpetuo unam fexiam terre prout est signata et terminata, ex campo vocato Corney, qui est dicte iovene. Que fexia terre affrontatur ab oriente in campo de Giuneu, a meridie in residuo nostri campi mediante quadam carraria ibi noviter facta, ab occidente in camino publico, a circio in fexia Petri de Buro. Predictam siquidem fexiam prout superius terminatur et affrontatur cum omnibus pertinentiis et proprietatibus suis, introitibus exitibus et pertinentiis suis universis et singulis, et cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et decetero faciendis, vobis dicto Arnaldo de Torrente et vestris perpetuo damus et concedimus ad emphiteosim sive ad acapitum. Salvo tamen iure et directo dominio dicti nostri monasterii, tam in terciis laudismiis foriscapiis emparis faciendis quam etiam aliis que ad directum dominium pertinere noscuntur. Dabitis preterea vos et vestri nobis et nostris successoribus in dicto monasterio annuatim censualiter in festo sanctorum Petri et Felicis quinque quarterias frumenti boni pulcri sicci et nitidi ad mensuram Gerunde, sive ipsas deffendentes in foro allatas vestris sumptibus in dicto monasterio. Et sic sub dictis modis et condicionibus constituimus nos dictam fexiam terre vestro vestrorumque nomine possidere, donec eiusdem rei possessionem tam de iure quam de facto adepti fueritis corporalem, in qua intrandi adipiscendi et retinendi plenam vobis et vestris damus et conferimus potestatem ad faciendum inde omnes vestras voluntates, retentis tamen condicionibus predictis. Et sic per nos et nostros successores in dicto monasterio promittimus hanc concessionem et omnia et singula supradicta rata et firma habere tenere et servare, et predictam fexiam cum suis iuribus vos et vestros semper facere habere tenere et etiam deffendere in pace contra cunctas personas, et inde vobis et vestris firmiter teneri de evictione et omni dampno et interesse litis et extra. Et pro predictis attendendis et complendis obligamus vobis et vestris omnia bona dicti monasterii ubique presentia et futura. Pro huiusmodi vero concessione habuimus et recepimus a vobis ad utilitatem dicti monasterii centum solidos Barchinonenses, renunciando exceptioni pecunie non numerate et non recepte et doli. Et ego dictus Arnaldus de Torrente laudans et concedens omnia et singula supradicta promitto vobis dicte domine abbatisse et successoribus vestris in dicto monasterio dictum censum quinque quarteriarum frumenti annuatim solvere tempore supradicto allatas ut est dictum. Et pro predictis attendendis obligo vobis et vestris dictam fexiam cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et decetero faciendis. Quod fuit actum et tam a dicta venerabili abbatissa quam dicto Arnaldo de Torrente firmatum et laudatum VI idus octobris anno Domini M.CCC.XXX. tertio. Presentibus testibus venerabili Bernardo de Lacu presbitero de capitulo et Petro de Villaritio clerico. Predicta vero omnia fuerunt per dictum conventum more solito congregatum in capitulo dicti monasterii laudata concessa et approbata, et etiam postea predicta omnia per dictum reverendum dominum episcopum Gerundensem laudata auctorizata et approbata IIII idus octobris anno Domini predicto, presentibus testibus venerabilibus Arnaldo de Palaciolo thesaurario et Bernardo de Lacu presbitero de capitulo Gerundensi. Et similiter Arnaldus de Torrente baiulus dicti monasterii predicta firmavit pro baiulo coram testibus supradictis.

Sig+num Petri Massaneti notarii publici substituti auctoritate regia a Bernardo de Toulano notario Gerunde publico, qui hec scribi fecit et clausit.

Nº 77 — CTORS f. 119v

n.º 678

Establiment [illegible] pessa [illegible] Camp [illegible]

[illegible] Joheria [illegible] per [illegible]

St. [illegible] Torrent [illegible] de Girona

A 1o 8tre 1333.

AC f. 31 — 14 [illegible] 2 [illegible] Camp [illegible]

[illegible]

T. 440 x 265

(607)